

terminis supra dictis tali conditione adiecta, si dicta pecunia, scilicet centum marcae in terminis antedictis non fuerint solutae, intrabunt Misnam inde non exituri, donec dicta pecunia in terminis suis integraliter fuerit persoluta, et si unum vel plures fideiussores pendente obligatione mori contingat, alter aeque bonus et idoneus loco mortui substituat. Huius occasione concordiae sententiam interdicti ex speciali mandato domini nostri episcopi non revocamus seu suspendimus usque ad dominicam proximam ante benedicta exclusive tantum in terra dicti domini comitis, tali conditione adiecta, ut si dicta concordia in omnibus suis superius expressis non fuerit servata, interdictum redeat cum omni rigore suo nulla ammonitione praemissa, ut prius in dominica proxima ante benedicta superius expressa. Volumus etiam et mandamus, ut dominus comes de Bren Albertus bonae memoriae medio tempore nullatenus excommunicatus ab aliquo denunciatur. Actum et datum Misnae anno domini M°. CC°. LXXXIII°. in octava annunciationis beatae virginis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem beschädigten Siegel des Capitels an einem von der Urkunde zum Theil abgeschnittenen Pergamentstreifen.  
Bericht der deutschen Gesellsch. zu Leipzig 1843. S. 15—17.

### No. 259. 1284. 3. Juni.

*Probst und Capitel verlängern wegen Abwesenheit des Grafen von Brena den auf den 2. Juli angesetzten Zahlungstermin von 100 Mark S. (No. 258) um drei Wochen.*

Bernhardus dei gratia praepositus, decanus totumque Misnensis ecclesiae capitulum discretis viris praepositis archipresbyteris plebanis viceplebanis ecclesiarum et capellarum rectoribus in terra domini comitis de Bren constitutis salutem et sinceram in domino karitatem. Venientes ad nos dominus Bodo de Turgow, dominus Johannes de Valkenhain et dominus Petrus plebanus in Sluen<sup>a)</sup> nobis significaverunt, quod propter longiturnam absentiam domini comitis de Bren et legitima impedimenta sua idem dominus comes in quarta feria in septimana Pentecostes non poterat ista vice sufficientem cautionem fideiussoriam praestare Melberg, prout in concordia promissum fuerat venerabili domino nostro Witigoni Misnensi episcopo vel nunciis eius ad hoc specialiter deputatis, pro centum marcis argenti Vribergensis et ponderis suis terminis persolvendis petentes cum instantia ipsi domino comiti dare inducias, donec ad terram propriam suis expeditis negotiis rediret. Nos vero habito consilio de licentia speciali domini nostri episcopi supradicti dicto domino comiti damus inducias usque ad festum beati Jacobi inclusive nunc proxime venturum, tali conditione adiecta, ut si dictus dominus comes medio tempore venerabili domino nostro episcopo vel nunciis suis ad hoc deputatis sufficientem fideiussoriam non praestiterit cautionem de centum marcis suis terminis solvendis, in crastino beati Jacobi nunc suspensum interdictum non revocatum redeat ipso facto sine ammonitione cum omni rigore suo, ecclesiastica sepultura specialiter interdicta. Datum Misnae anno domini millesimo CC°. octuagesimo quarto in sabbato ante festum beati Bonifacii.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Capitelssiegel an einem Pergamentstreifen.

a) In No. 258 Zluwen, Schlieben.